

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3599

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1259, août

**Lieu d'émission** : Gournay

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

En vidimant une charte de Jean Goscelin, bourgeois de Pont-de-l'Arche, par laquelle il vend à l'abbé et aux moines de Notre-Dame de Bonport pour 35 livres tournois une maison sise à Pont-de-l'Arche avec ses rentes et redevances annuelles, Louis [IX], roi de France, confirme cette vente.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 629, p. 119.

b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXXVII, p. 230-232 et CCXXXV, p. 239.

Texte établi d'après a

Ludovicus Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos litteras Johannis Gocelin, burgensis de Ponte Arche, vidimus sub hac forma :

Noverint universi, tam presentes quam futuri, quod ego Johannes Goceselin (sic), burgensis de Ponte Arche, assensu et voluntate Matildis, uxoris mee, vendidi et concessi et omnino reliqui abbati et conventui Beate Marie de Bonopartu quamdam domum quam habebam apud Pontem Arche, sitam inter domum heredum Gileberti Coispel, ex una parte, et domum Galteri de Atrio, ex altera, sicut se proportat a vico ante, usque ad mutum (sic, l. : murum) domini regis retro, reddendo inde singulis annis sex solidos et unum caponem et duos denarios annui redditus, videlicet Petro Computatori et suis heredibus quatuor solidos et unum caponem, scilicet ad Natale Domini duos solidos et unum caponem, et ad festum sancti Johannis Baptiste duos solidos, et ad dictos terminos leprosie (sic) de Ponte Archie duos solidos, insuper et domino regi duos denarios, ad festum sancti Remigii, tenendam et habendam predictam domum predictis religiosis, bene, pacifice et et quiete, absque ulla contradictione vel reclamazione de cetero mei vel heredum meorum, salvo tamen jure predictorum capitalium dominorum, et licebit dictis religionis de predicta domo per predictum redditum suam penitus facere voluntatem, et tenemur tam predictus Johannes quam heredes mei dictis religiosis supradictam domum contra omnes garantizare, vel, si necesse fuerit, ad valorem excambiare in meo proprio hereditagio, videlicet super tres pecias terre, quarum una sita est apud Pontem Arche inter terram Reginaldi Gocelin, ex una parte, et terram Petri Computatoris, ex altera ; et altera sita est in eadem parochia Pontis Arche, inter terram Johannis Piquart, ex una parte, et terram Guillermi de Ducler, ex altera, et tercia sita est similiter apud Pontem Arche, inter terram Radulfi de Valle, ex una parte, et terram heredum Thome le Buegues, ex altera ; insuper super decem solidis turonensium et sex caponibus annui redditus quos Robertus

Medicus reddidit michi et heredibus meis pro omnibus que tetenet (sic) de me ; preterea super duos solidos turonensium annui redditus, quos Asselin le Testu reddit michi et heredibus meis pro quadam sauchia de insula de Gloriete, quam tenet de me ; siquidem et super dimidiam acram prati sitam apud Sotevillam, quam habeo ibidem inter pratum Johannis le Franc, ex una parte, et pratum Germani Ruffi, ex altera, et iterum super duos solidos turonensium annui redditus quos Johannes Roulant reddit michi et heredibus meis pro domo sua, ita plane quod dicti religiosi super hec omnia supradicta habebunt recursum, si in garantizatione predictae domus cum suis pertinentiis, tam ego quam heredes mei, defecerimus in futurum ; et poterunt de omnibus supradictis suam omnino facere voluntatem, sicut de suo proprio, et plenariam exercere justiciam, si, ut dictum est, defecimus in garantizando. Renunciavimus, tam ego predictus Johannes quam heredes mei, et etiam predicta Matilpdis, uxor mea, super hiis omnibus omni juri, tam canonico quam civili, et omnibus exceptionibus, que possunt vel possent de cetero obici contra presentem cartam. Pro hac autem venditione et concessione dederunt predicti religiosi michi et predictae Matilpdi, uxori mee, triginta et quinque libras turonensium pre manibus, de quibus nos tenemus pro pagatis. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, predicta Matilpdis uxor mea, ad majorem confirmationem, sigillum suum, una cum sigillo meo, apponere presenti carte dignum duxit. Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo octavo, mense junio ; testibus : Roberto Coispel, Ricardo Mahiel, Stephano Computalore, Petro Computatore, Guillelmo Anglico, et pluribus aliis.

Nos autem predictam venditionem, prout superius continetur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, retentis nobis in ipsa domo et pertinentiis suis censu nostro et justicia et salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Gornaium, anno Domini M° CC° quinquagesimo nono, mense Augusto.